



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE CUM VENERABILIS FRATER SANCTA HEDVIGES SILESIANA TOTIUS CIRCUMSCRIPTIONIS ECCLESIASTICAE GORLICENSIS PRAECIPUA APUD DEUM PATRONA CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. –

Cum venerabilis Frater Bernardus Huhn, Episcopus titulo Tasaccorensis et Administrator ipse Apostolicus Gorlicensis, sua ipsius universorumque presbyterorum ac fidelium totius provinciae ecclesiasticae Gorlicensis vota significaverit ut Sanctam Hedvigem Silesianam, cuius videlicet memoria intra eiusdem ditionis fines plurimum iam saecula vigeret, principalem Patronam illius declararem provinciae, libenti quidem animo Nos talibus concedendum precibus esse censemus. Fore enim maximopere confidimus ut, quem ad modum christianus ille populus Sanctam Hedvigem magna religione animarumque utilitate prosecutus est immo et complura templa ei dicari voluit et varia opera beneficentiae socialis eius nomine decorari, sic in posterum pariter tempus vel sanctiore adfectu ipsam ac fideliore imitatione excolant iam renuntiatam Patronam. De sententia ideo Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, apostolica Nostra potestate harumque Litterarum vi et perpetuum in modum Sanctam Hedvigem Silesianam declaramus atque confirmamus praecipuam apud Deum totius circumscriptionis ecclesiasticae Gorlicensis Patronam, omnibus rite adiectis honoribus ac privilegiis quae id genus principalibus Ecclesiarum Patronis iure conveniunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Quae edicentes decernimus ut praesentes hae Litterae firmae validae sint et efficaces iugiter permaneant suosque piene effectus et integros sortiantur atque obtineant. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Aprilis, anno Domini MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana

---